

protector malefittii, notarii, procuratores generales, fontecharius
 comunis, extimatores comunis et eorum notarii, esse non possit
 ad invicem in dictis offitiis vel aliquo ipsorum infrascripti:
 videlicet pater cum filio et filius cum patre, frater cum fratre,
 5 germani, consanguinei, patrus cum nepote, nepos cum patruo,¹⁾
 tam ex parte matris quam ex parte patris, et filii fratris et
 sororis insimul; ac etiam esse non possint in uno eodem offitio,
 tam si de ipso offitio percipiatur salarium de camera comunis
 quam non, modo aliquo insimul pater cum filio, filius cum patre,
 10 nec frater cum fratre, et si electi et confirmati fuerint, sint cassi
 et vani et nullius valoris. ¶ Et quod quilibet qui habuerit offi-
 tium factum²⁾ in maiori conscillio ad brevia et balotas, tam si
 de eo percipiat salarium de camera comunis quam non, durante
 dicto offitio aliud offitium habere non possit, nisi primum de
 15 quo fuerit confirmatus, salvis offitilibus spetialibus secundum
 formam eorum capitularii. ¶ Et si aliquis confirmatus fuerit in
 aliquo offitio quod habere non posset, et ipsum offitium accepta-
 verit, quod talis acceptans cadat ad penam decem libr. par., et
 nichilominus sit privatus et privetur a dicto offitio, et dominium
 20 Tergesti teneatur alium offitiale loco ipsius facere in maiori
 conscillio. ¶ Et quod quilibet possit refutare offitia comunis,
 salvo si non esset specificatum in eorum capitulariis // et elec- 78 A
 tione. ¶ Et quod iudices sive rectores nec cancellarii recipere
 debeant aliquem offitiale in aliquo offitio in quo esse non
 25 possit, sub pena vigintiquinque libr. par. pro quolibet ipsorum
 iudicum sive rectorum et cancellariorum, et nichilominus talis
 offitialis sit cassus, et loco ipsius alium offitiale in maiori
 conscillio fieri debeat. ¶ Item quod in quolibet conscillio in quo
 30 fiunt aliqui offitiales ad brevia et balotas, quod pro hiis qui
 habebunt brevia exsire debeant de maiori conscillio sui pro-
 pinqui infrascripti, et hoc antequam alia brevia dentur: vide-
 licet pater pro filio, filius pro patre, frater pro fratre, patruus
 pro nepote et nepos pro patruo, tam ex parte patris quam ex
 parte matris, et quod extrahatur et extrahi debeant de capello
 35 tot breves albi quot consciliarii exient de maiori conscillio occa-

¹⁾ paterno.²⁾ Aggiunta marginale.